



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

26. Charitas in voluntatis resignatione.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Aspirationes.

I. *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.* 2. Corinth. c. 6.

II. *Caro mihi valent stilla temporum.* S. Aug. L. I. Conf. c. 21. *Ama & fac quod vis: tempus benè impenditur, dum amoris sancto donatur.* S. Aug. in Joan.

III. *Dum tempus habemus, operemur bonum, ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* Ad Gal. c. 6. 10.

P A S S U S XXVI.

Charitas in conformitate cum voluntate Divina, seu in resignatione.

T E X T U S.

Fiat voluntas tua, sicut in caelo & in terra. Matth. c. 6.

Cognitio.

Resignatio est actus charitatis Divinae, quo homo voluntatem suam cum Divina in omnibus conformat. Amantium enim solet esse, unum velle & unum nolle:
cor

eorum unum, & anima una. Hæc autem resignatio, & cum voluntate Divina conformitas, tribus Dei attributis innititur. I. Sapientia Dei, quâ is omnia novit, & nihil homini in hac vita accidere potest, quod ipse ab æterno non sciverit, præviderit, expenderit, ejusdemque utilitates & commoda cognoverit. II. Omnipotentia Dei, qui omnia potest, & omnia operatur in omnibus, excepto peccato, quod permittit. III. Bonitati Dei, qui omnia in bonum electorum suorum ordinat: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. 28. Et millies majorem suorum curam gerit, quàm ullus pater aut mater pro unigenito filio, imò quàm omnes parentes simul. Hi sunt tres digiti, quibus Deus appendit, regit & continet Orbem terrarum.

Actus:

1. Omnia quæ accidunt, voluntati Divinae adscribere; exemplo Jobi dicentis: *Dominus dedit, Dominus abstulit, c. 1. Sicut Domino placuit, ita factum est.*
2. Voluntatem Dei in omnibus ut justam agnoscere & venerari, exemplo Davidis: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Psal. 144. 17.

3. Om-

3. Omnia velle facere ad nutum Divinae voluntatis; & ideo nihil ordiri, nisi eodem prius explorato; exemplo S. Pauli, dicentis: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. 6.
4. Adversa, quae eveniunt, generoso silentio concoquere, exemplo Vatis Regii: dicentis: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam Tu fecisti* Psal 38. 10.
5. In beneplacito Dei solo super omnia delectari; exemplo Beatorum in caelis, magis de executione voluntatis Divinae, quam de gloria propria, latantium.

Dilectio.

Anima mea, si verè Deum diligis, cor unum & voluntatem unam cum illo habeas necesse est: relinque te, resigna te, & frue-
ris magna pace. Da totum pro toto, nihil excipe, nihil repete, sta purè & inhaesitanter in Domino, & habebis illum. Nec te aestimes magnum, aut specialiter dilectum, si in magna fueris devotione ac dulcedine, in istis non consistit profectus, aut perfectio hominis, sed in offerendo te totum voluntati Divinae, non quaerendo quae tua sunt; nec in tempore, nec in aeternitate. Offer ergo te, si adversa immittit, causas ille novit, quia novit omnia, & scit in bonum tuum ea convertere. Si castigat, Pater est; quem

quem amat , flagellat , omnia de paterna manu accepta ; non potest esse malum , quod ab infinita Bonitate tibi submittitur.

Petitio.

Fac me , Domine , voluntatem meam tuæ ita in omnibus conformare ; ut inter prospera & adversa , in opulentia & inopia , in consolatione & desolatione , in honore & contemptu , in bello & pace , in morbo & sanitate , in longa vita & brevi , in tempore & æternitate , semper in pace & gratiarum actione permaneam : quoniam Tu omnia facis , omnia ordinas , ac in bonum nostrum dirigis.

Aspirationes.

I. Pater , si vis , transfer calicem istum a me ; veruntamen , non mea , sed tua voluntas fiat. Lucæ. 22. 42.

II. Domine , doce me facere voluntatem tuam ; quia Deus meus es Tu. S. August. med. c. 9.

III. Dominus est , quod bonum est in oculis suis , faciat. 1. Reg. 3. 18. Vel cum S. Gertrude : Domine , fiat in me , de me , per me , circa me , & circa omnia mea , tua sanctissima voluntas , in tempore & æternitate.